Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3353
Quelle:
Copyright:

XII. *fol.* 99. *Incipit tractatus de discretione spirituum ad vires supernaturales. Magistri hainrici de hassia.* Initium: *Sicut in phisica motus et Operationes* &c. Jam pluries relatus. Vide, quae ad *Cod.* DCXC. notavimus. Ad calcem legitur: *Explicit — anno domini 1437. in ciuitate Basilien. scriptus sacro generali ibidem tunc existente concilio.*

XIII. *fol.* 109. absque titulo Tractatus asceticus, qui incipit: *Beatus vir cuius est auxilium abs te ascensiones in corde disposuit — Novi homo quod ascensionum sis cupidus* &c. Et finit: *ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant.* Est Viri pii *Gerardi de Zutphania* mortui *Coloniae* 1398. cujus vitam *Thomas Kempensis* dedit, impressus jam 1493. 8. iterum *Colon.* 1539. indeque una cum altero Ejusdem Tractatu *de Reformatione Virium Animae* in *PP. Bibliothecas* traductus, ubi edit. *Lugd. T.* XXVI. p. 258. titulo *Spiritualium Ascensionum* legitur, addita lacinia quadam *De quatuor, in quibus incipientes Deo servire debent esse cauti, si proficere volunt*, quae, si quid video, nihil ad *Gerardum.*

XIV. *fol.* 153. *Venerabilis beda super luca* et *Sermo sancti Bernhardi* Fragmenta duo in Canticum *Magnificat.*

XV. *fol.* 157. *Tractatus magistri Johannis de turre cremata de aqua benedicta quem fecit in concilio Basilien.* Capitibus VII. distinctus incipit: *Iniunxit michi nuper Reuerendissima paternitas Vestra colendissima* (Julian. Caesarinus Card. S. Angeli Legatus) *problemma Reverendo magistro Johanni de Ragusio primi articuli* (primo articulo) *Bohemorum respondenti per magistrum Petrum* (Payne) *Anglicum propositum notare cum diligentia* &c. Et finit: *sub lima correctionis cum omni reuerentia presento.* Opusculum jam Sec. XV. *s. l.* et *a.* 4. et deinceps pluries editum. Vide *Scriptt. O. P. T.* I. p. 139.

XVI. *fol.* 169. *Incipit Tractatus de corpore et sanguine christi* additur *Basilij.* Praeeunt Summaria Capp. XXII. Prologus incipit: *Dilecto filio et vice christi presidenti magistro monastice Disciplinae* &c. Sub finem Prologi inter Doctores, quibus se usum profitetur hic *Pseudobasilius*, comparent *Isidorus*, *Isichius*, *Beda*; itaque pro *Basilio* rescribamus *Paschasium Radbertum* Abb. *Corbejensem* O. S. B. Sec. IX. autorem, inter cujus Opera a *Jac. Sirmondo Parisiis* 1618. f. edita Librum nostrum habes *col.* 1551. et novis curis in *Martenii T. IX. Monum.* p. 373. In *Codice* paullo ante C. XXII. et *ultimum* deficit. Eum et sub nomine *Rabani* in lucem prodiisse olim monent Bibliographi.

XVII. *fol.* 250. *Incipit Soliloquium Hugonis* (a S. Victore) *in modum dyalogi ad animam suam eandem instruens multifarie et pulchre quatenus ex multis causis quas demonstrat super omnia diligat deum.* Initium: *Loquar secreto Anime mee* &c. Finis: *hoc totis pre-*